

Handwritten text on the right edge of the page, including numbers and symbols, possibly indicating a list or index. Visible fragments include: 1., 1., 2., 3., 1., 1., 2., 3., 1., 1., 1., 1.



15.

47

1651, 3.

DISSERTATIO

De

ALLEGATIONIBUS,

73

memoriter habita Tubingæ,

Præsentibus

Illustrissimis Württembergiæ & Holsatiæ

PRINCIPIBUS,

à

GEORG: FRIDERICO WAGNERO
Eslingensi.

Excudebat JOH. ALEXANDER CELLIUS,

ANNO M. DC LI.



9. 510.



Magnifico & Amplissimo

V I R O,

Imperialis Efslingæ

CONSULI,

Dn. GEORGIO WAGNERO,

Parenti

suo

charissimo

dissertationem hanc suam

dedicat

Filius.

I. N. D. J. C.

Incltyti & Excelsissimi Principes,
Domini Clementissimi:

Magnifice Universitatis hujus
Rector:

Perillustres Comites ac Barones:

Auditores cæteri multis magnisque titulis &
elogiis celebrandi:

Concio undiquaque honoratissima.

Ræter omnem opinionẽ meam
votumque accidit, ut jam nunc in illu-
strissimo isto loco, confessuque longe
splendidissimo verba facere debeam:
amplissimo quippe Iuridicæ Facultatis
collegio id muneris demandante mihi. Quod sanè
quemadmodum ex se perest honorificum, sed & cu-
mulatum omni laude oratorem deposcit: sic doleo
ego meritò, tam nobilem spartam commissam fuisse
homini talium artium valde rudi, & exercitatione
prorsus tyroni. Ingenuè enim agnosco tenuitatem
meam, atque accisam & curtam nimis ingenii supel-
lectilem: parumque abest, quin deseram vadimo-

A 2 nium;

nium ; nisi me redanimaret quasi summa gratia vestra & comitas ad miranda ; quæ multoties hæctenus & dicentibus & disputantibus ingenti solatio fuit. Tanta igitur mansuetudine in præsens erectus , mitissimis conspirantium favorum auris vela pandam audacter , sermone vadum famæ verecundè tentaturus , ac si aliter expectationem sustinere nequeam , hoc demonstraturus saltem , maluisse me imperitè dicere , quàm fidei & obsequii gloriam insuper habere. Et quia à venerandis Patronis & Antecessoribus arbitrio permissum est meo , eligere dicendi materiam , eminentissimo tamen hoc Auditorio dignam ; constitui hic aliquid proponere de **Allegationibus** : quarum ut in omni literatura hodiè fœcunda seges est , ita potissimum in vastis Iurisconsultorum latifundiis luxuriare videtur. Dicam autem hac fini , non ut docere velim alios , (absit enim , absit à me jactantia illa .) sed ut ipsemet docear magis : non ut aliorum scriptis criticum pumicem intempestivè admoliar , sed ut ipsemet accuratissimam incomparabilis Auditorii hujus censuram reverenter eliciam de osculerque , promptus ineptias meas unâ liturâ actutum expungere , & ad piper damnare , quamprimùm displicentiam intellexero. Verùm munditiem & differendi elegantiam nemo requirat in hoc argumento ; pro omni fuerit lautitia , oratiunculam condiisse brevitatem non rusticana.

Quintus Mucius Pontifex Maximus olim à Servio de rebus Amici sui consultus , cum dato responso primùm parum intelligeretur ; & proinde iterum interrogatus nec dum altero responso perciperetur , objurgavit tandem Servium hisce verbis : *Turpe esse Pa-*

tricio

tricio & Nobili, & causas oranti, jus in quo versatur, igno- l. 2. §. 43.
rare. Ex quo prudentiæ oraculo lubet occasione sup- ff. de O. I.
 parasitari, & annectere corollarium argumento no-
 stro convenientissimum; scilicet cum dedecore stu-
 dioforum Juris conjunctum fore, si Leges in Corpo-
 re Juris extantes illi nesciant, & imprimis si cum Juris-
 consultis illis veteribus, in Pandectis sempiternum vi-
 cturis, loqui & scribere negligant. Quod ipsum præ-
 stantissimus Candidatus aliquando in florentissima
 Germaniæ Academia egregio comprobavit exem-
 plo. In publico enim agone disputationis solennis,
 quæ ob doctrinarum copiam & omnes alias perfectio-
 nis dotes in manibus & laudibus omnium Professorum
 & eruditi populi erat, cum Cathedrarius Poëta, idem
 Jurisconsultus & Orator, famâ notus, insultaret pa-
 lam, & magniloquentiâ tumidus vociferaretur, solœ-
 cismos alicubi latere non ferendos; Candidatus autem
 repētinis illis & insperatis diceriorū tragulis non nihil
 externatus urgeret Poetâ, ut sine ambagibus animad-
 versa vulgaret vitia; sibi quidem cupido discere, &
 mendas emendare parato, istud officii gratissimum
 futurum: denique verò canorus Poëta argumenta-
 retur in hanc formam; Quisquis Candidatus Juris
 non observat stylum, dicendi modos, & verba pri-
 scorum & in Pandectis illustrium Juris consultorum;
 ille non erit excellens & consummatus Doctor, sed
 Doctorellus potius: Tu verò Domine Candidate,
 quantumvis disputationis tuæ theses aliâs scitæ eru-
 ditionis speciem præ se ferant, non tamen observasti
 stylum, dicendi modos, & verba Jurisconsultorum
 illorum principum: Ergo non eximius Doctor, sed
 tantum Doctorellus eris. Nec mora: ostendit cer-



tam thesin, & clarâ voce pronuntiat, verbum
Exequi passivè usurpatum: & addit, Iudicet Au-
 ditorium! At Candidatus ut primùm ampullas
 exaudiit, subitò, (ceu casibus inopinis generosi a-
 nimi duplicare vires, & omnem ingenii armaturam
 producere solent.) & intrepidè inquit; Clarissime
 Domine Professor, prodromus argumentationis tuæ
 pupugit me non leviter, existimationis curiosum; sed
 argumentatio ipsa vanissimi bombi instar fuit. Atqui
 illam inversam in te retorqueo, solâ & simplicissimâ
 veritate armatam; quam & experieris invictam. Ar-
 rige aures! Quisquis Doctor non attendit stylum,
 phrasas ac verba summorum Antistitum, in Pandectis
 regnantium, ille non tuetur dignationem & nomen
 edecumatæ eruditionis Doctoris, sed Doctorellis
 duntaxat est aggregandus: Tu verò Domine Poëta, nō
 attendis stylum, phrasas, ac verba summorum illorum
 Iustitiæ Sacerdotum: Ergo non inter magnos & præ-
 cipuos Iuris Doctores, sed inter Doctorellos tan-
 tummodo collocandus es. Et confirmationis gratiâ
 „ confestim recitat principium L. 19. ff. de Iurisdictione,
 „ hac verborum formulâ conceptum: *Ulpianus lib. sexto*
 „ *Fideicommissorum: Cum quædam puella apud competentem*
 „ *Iudicem litem susceperat, deinde condemnata erat, posteaque*
 „ *ad viri matrimonium alii Iurisdictioni subjecti pervenerat,*
 „ *quærebatur: An prioris Iudicis sententia exequi possit?*
 Et postremò Candidatus appellat Auditores univer-
 sos, candidè & alacriter sine personarum respectu ju-
 dicare velint; Laurigero vatine, an verò hoc in casu
 Ulpiano tribuenda sit victoria? Et, annon suopte ju-
 dicio victus Poëta inter Doctorellos numerari merea-
 tur?

tur? Concertationis clausula fuit, ut Opponens indignabundus proripuerit se ex Auditorio illicet: Respondens autem, plausu gloriæ plenus, mirificum auctoritati suæ addiderit pondus. Tanti est, in Iure, ut & in omni alia scientia & arte, exquisitas rerum verborumque significationes callere: tanti est, linguam calamumque ita temperare & moderari, ne publice præsertim vel loquentibus vel scribentibus excidant barbarismi, aut soloecismi; quos plerumque pone sequuntur scommata, exprobrationes, ignominiosæ explosiones, & multa ciconia pinxit à tergo. Et quia verba sunt rerum notæ, adeoque initium docendi est vocum dispectus; uti communiter docent philosophorum scholæ: iuvat hîc ante alia omnia inquirere; Ecquem **Allegare & Allegatio**, in Latinitate, styloque proprio Iurisconsultorum antiquæ & primæ dignationis, obtineant locum? Christophorus Forstnerus, vir meritis & scriptis insignis, non obscure discessionem facit in negantium sententiam; cum in præfatiuncula, Notis in Tacitum præfixa, deridiculo exceperit Medicum *allegationes* crepantem: opineturque, *Laudare authorem* Latine dici, sed *allegare authorem* sapere barbarismum. Sic & Latinissimus Hadrianus Cardinalis S. Chryfogoni, in aureo libello *de modis Latine loquendi* monet: Verbi proprietatem non animadvertere, sed vulgarem errorem persequi eos; qui cum authorem in rem suam adducere, aut citare volunt, *allegare* se illum dicunt: Nam *Allegare* esse, quasi aliquem rogatum in legationem, pro parvis privatisque causis mittere; *Legare*, pro publicis magnisque rebus; *Ablegare* verò esse, fere in exilium ejicere, aut à conspectu remove.

Possena

*in arte Poe-
tica.*

Possem generatim obvertere, Consuetudinem cum omnium rerum dominam, tum maximè verborum esse: & usum facere authenticam vocem, versionem, significationem; atque cum Horatio asseveranter pronunciare possem,

*Multa renascentur, quæ jam cecidere cadentque,
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus:
Quem penes arbitrium est, & vis, & norma loquendi.*

*A. Gentil.
disp. de lib.
Iur. Civ. c. 6.*

Et hoc videtur esse de stylo, ut in usu receptis non variet stylus. Quin & leges civiles nos aliter non tenent, quàm quia receptæ sunt usu: & vicissim, nos non tenent, vel certæ ipsius Iustiniani Novellæ, quæ usu receptæ non sunt adhuc. Non enim Criticis in talibus facilè permittendum, ut falces admoveant suas correctorias. Fuerunt, hodieque sunt, qui nimis oculati errata quædam in Scriptura librorum

*A. Gentil.
disp. de lib.
Iur. Civ. c. 2.
c. 7. disp. 9.*

Dei Sacrosanctorum se deprehendisse confitentur; quod ramen ut credam, nemo hominum persuaserit mihi. Quomodo enim poterit certa esse fides mea, si scriptura alicubi erraverit? Loquar cum S. Augustino; quòd, si unum minimum mendacium conceditur in Scriptura, protinus universæ Scripturæ labefa-

*A. Gentil. in
disp. de La-
tinitate ve-
teris biblio-
rum versio-
nis male
accusata.*

ctatur autoritas. Licet igitur ipse Paulus & reliqui Apostoli aliquoties à Hieronymo & Erasmo audiant *im-
periti lingua Græca, impoliti, in conditi, solæcissantes, balbu-
tientes*: semper tamen pro certo emendatè loquitur, qui sequitur auctoritatem Dei. Et vehementer indignum fuerit, verba cœlestis oraculi restringere sub regulis Donati, inquit Gregorius. Quanquam veterum illorum Iurisconsultorum Latinitas tam tersa, nitida, puraque est, ut nec Donatus, nec alii magis

Argi

Argi Grammatici aliquid reperturi sint, quod coar-
guere, aut damnare jure queant. Ne multa:
Allegatio & Allegare in frequentissimo tot secu-
lorum usu vocabula, pro *citare* vel *laudare*, aut pro
citatione vel *laudatione*, nihil habent inconditi, insub-
si, vel inepti; contra ac sentiunt Cardinalis Hadria-
nus, Cancellarius Forstnerus, & alii viri doctissimi.
Etenim sicut **allegare** est mittere aliquem: ita Iuris-
consulti nostri non peccant in canones Latinè dicen-
di, si quos allegant Authores, leges, aliasve res,
mittunt eos easve quasi fidei faciundæ causâ. Et ab hac
sententia non facere divortium priscos illos in Pan-
dectis celebres Iuris Conditores, & alios Heroes La-
tinitatis, scriptoresque classicos; id ex inenarrabili
testimoniorum numero jam aliquam multis exemplis
faciam planum. Agmen ducant ex tot illis præcel-
sis Legum Magistris, alter & alter tantum, aut fortè
tertius quoque, pluresve. Ulpianus in l. 7. §. 2. ff. de
minorib. ait, *Puto si allegans minorem esse, ad solutio-*
nem compulsus sit, nihil ei imputandum. Et in l. 18. §. 1.
ff. eod. *Dum ea, que pro causa sunt dicta, non allegati.*
Et in l. 2. ff. de *Feris.* *Ut tutores dentur, ut officii adma-*
neantur, excusationes allegentur. Et in l. 1. §. 6. ff. de
postulando. *His personis, que non virtutis causâ cum*
bestiis pugnaverunt, pro se prator permittit allegare.
Et in l. 5. §. 13. ff. de *Rebus eorum*, qui sub tutela vel
cura, sine decreto non alienand. *Ne tamen titulote-*
nus tutores, ere alieno allegato, pecunia abutantur. Et
ibid. §. 14. *si es alienum non interveniat, tutores tamen*

B alle-

allegent; & paulò post: *si permiseris are alieno non allegato.* Paulus in l. 36. ff. de minorib. Minor viginti quinque annis omissam allegationem per in integrum restitutionis auxilium repetere potest. Marcellus referente Juliano in l. 75. ff. de iudiciis: *si sciens per dolum falsò aliquid allegavit.* Gajus in l. 25. §. 1. ff. de minorib. *Qui generale mandatum de universis negotiis alleget, non debet audiri.* Et Hermogenianus in l. 17. ff. eod. *Appellatio iniquitatis sententiæ querelam: in integrum verò restitutio erroris proprii veniæ petitionem, vel adversarii circumventionis allegationem continet.* Numerosius autem ex Digestorum penu ad rem facientes textus prompturo, bonis avibus intervenit vetus & authenticus Poëta, (nomen impræsentiarum me fugit) & suffragatur isto versiculo,

Allegantque suos utroque à sanguine Divos:

Profecto exoptatè Poëta ille

Et sapit, & mecum facit, & Jove Iudicat æquo.

Nec minus appositè adstipulatur. M. Fab. Quintilianus in Declam. 7. pro Paupere, ad finem: *Iam nunc tamen vobis, Iudices, infirmitatem meam allego, commendo.* Et in Declam. 8. pro Matre, ferè in principio: *Non possumus affectibus vestris, Iudices, non hanc primam tristissimæ calamitatis allegare mensuram: & in Declam. 11. non procul ab initio: Parvulos suos ostendit, allegat.* Allegamus & Tacitum; qui libro quarto historiarum, circa finem: ut Sinopen venere, munc-

munera, preces, mandata regis sui Scydrothemidi,
allegant. Et Suetonium quoq; *qui in Augusto, c. 5.*
 Cum Lectorius adolescens, ætatem atque natales
 Patribus Conscriptis **allegaret.** Ubi non dissimu-
 lo; Cl. V. Matthiam Berneggerum dubium esse, an
 rectè vulgò de citandis Authoribus verbum **allegare**
 usurpetur. Atqui pro mille aliis unum adduco
Ciceronem (quo audito statim acquiescere vo-
 luisset æquissimus hominum Berneggerus) cujus in
 oratione *pro A. Cluentio*, hæc verba propria, signifi-
 cantia, ac nativa sunt; Ac jam tum in Oppianici cau-
 sa crimen hoc Asinianum multis testibus & indicio A.
 Julii probabatur; in quo inter **allegatos** Oppianici
 nomen primum esse constabat. Si itaque ex Tullia-
 no hoc contextu apparet, **allegare testes**, Cicero-
 nianorum temporum phrasin esse; nemo nobis ver-
 terit vitio, aut læsæ Latinitatis dicam impegerit no-
 bis adstruentibus, **allegare authorem** modum lo-
 quendi usitatum, probum, justum, & minimè bar-
 barum esse. Cæterùm de verbo **citare** pro *adduce-
 re testimonium* scriporis, haud difficilis cum Hadriano
 Cardinale futura sit transactio: tametsi Obertus Gi-
 fanius in Observationibus Latinæ linguæ Ciceroni
 illud nunquam hoc significatu in mentem venisse au-
 tumat.

Immemorem me penè propositi mei fecit de
 nominis ingenuitate, significatione, ac potestate, di-
 sceptatiuncula. Quamobrem respectus admirabilis
 patientiæ vestræ, gratiosissimi, humanissimique Au-

B 2 ditores,

ditores, invitat me, ut sine mora accurem pensum, dicamque rotundè & candidè de *Necessitate & Moderate Allegationum*. Necessarias autem dum facio allegationes proboque; simul & eadem ratione improbo & exesse jubeo non necessarias. Scriptor namque si tradat, doceat veres sua luce illustres, & quæ proclivem apud sanæ mentis homines reperiant assensum fidemque, frustraneum tunc laborem operamque insumperit, si stabiliendo dogmati tam luculento ac passim manifesto fulcra non necessaria conquisiturus sit. Quicquid usum non habet, supervacaneum est. Miseri allegatores ejusmodi, qui soli facem allucent, & ea probationibus statuminant, de quorum evidentia ne decennis quidem puer ambigat. Dicerem stultos, (sunt verba non mea; sed Professoris præcellentis.) nisi idem magni Antecessores subinde fecissent, quod avari causifici rabulæque sæpicule factitare solent. Quærere legem, ubi habemus rationem & sensum, imò ipsam experientiam rerum magistram; est debilitas seu infirmitas intellectus: ita statuunt unanimiter Baldus, Everhardus, & Antonius Heringus. Exemplis opus est. Magnæ molis Consilium hîc Tubingæ asservatur, in causa gravissima perscriptum: in quo Iurisconsultus Saxo aliquot folia implet allegationibus: ut hoc ostendat solùm, Veritatem omni laude dignam esse! Intolerabilis certè hæc calami intemperies esse videtur. Agebatur inter partes de Comitibus maximi momenti; disputabatur de transactionibus geminatis, juratisque; & verbosissimus Consultor, ut portentose foliosi Consilii sui spissitudinem grandiret magis, exspatiatur in aliena, atque in Veritatis encomiis

Baldus in
rubric ff. d.
de divisione.
Everhardus
in loco à lege
cessante.
n. 3. Anton.
Hering. de
Fidejuss.
c. 7. n. 523.

miis denarrandis importunè rhetoricatur. Sic & Waremundus ab Erenberg, Politicus plurimi nominis, (quem enim latet Eberhardum à Weihe, non rarò, ut agilem ac versipellem histrionem in scena varias personas, ita illum in Reip. literariæ theatro alia atque alia ficta adoptasse nomina?) cum Meditamenta pro Fœderibus publico bono construxisset, in primo mox capite alienum de ordinis commendatione interserit discursum: & ut inveniustam hanc vitiositatem condigno exornaret auctario, inventustiori veluti emblemate, commendationem ordinis bene multis adductis argumentis ambitiosè prosecutus est: quasi ex mediocriter doctis tam cassi cerebri futurus sit, qui utilitatem & necessitatem methodi in dubium vocare ausit. Progredior, & dico amplius; necessárias tamen esse allegationes, sive in clario faciliq; sive in obscuro scriptor versetur argumento: quando nimirum ex aliis Authoribus vel ad verbum transcribit aliquid; quod ipsum Alberti Magni iudicio humilitatis est, ac sæpe perquam utilis cautionis; vel quando sensum tantum ex aliis scriptoribus mutuatus, eundem novo verborum apparatu cultuque vestitum agglutinat chartis suis, quod hodie fit creberrimè: vel cum quis aliorum scripta variè interpolata tanquam nefarius usurpator, & audax imitator, pro genuina sua prole venditat, quod ipsum acerrimis maledictis & diffamationibus est opportunum. Apetti pectoris & probi animi signum est, profiteri per quem profecerit: contra obnoxii atque infelicis, in furto deprehendi malle, quàm mutuum reddere. Quare Iustus Lipsius hoc unum Minerval sibi postulabat, *Tu quidem, Lector,* ^{in præfat. ad antiquas} *ajebat, Lectiones.*

„ aiebat, si quid te adjutum hâc industriâ nostrâ senties, gra-
 „ tum memoremque te praebeas hactenus, ut duobus verbis
 „ usurpes; Lipsius invenit. Hoc enim cum Thalete à
 „ te non ineptè peto; qui Mandraytum Priensem, cum no-
 „ va quâdã ac subtilia de cœlo docuisset, offerentem illi mercedẽ
 „ quam & quantam vellet; Hoc pro omni mercede esto, in-
 „ quit Thales, ut si ea apud alios proferes, Thaletem autho-
 „ rem invenisse non celes. Pessimè igitur bonam famam

curant & existimationem suam: qui cum alienige-
 nis plumis scripta sua comunt fucantque, allegatio-
 nes turpiter omittunt tamen. Quo nomine apud

*Eberh. à
 Weihe de
 regnor. sub.
 sid. c. 4. n. 4.*

*Weihe ibid.
 c. 5. n. 59.*

*Mynsing. in
 Dedicatoria
 ad Henri-
 cum Archie-
 piscopum
 Bremensem,
 Ducem Sa-
 xoniae &c.
 scripta
 Helmstadii
 13. Kal. Mar-
 tii A. Chr.
 1584.*

Eberhardum à Weihe non bene audiunt; tum Ar-
 noldus Clapmarius, quod pleraque ex manuscriptis
 Weihianis, in suis *de Arcanis imperiorum* libros, sine
 venia & mentione Authoris transtulerit: tum Mi-
 chael Teuberus, Jurisconsultus; qui in editis Iuris
 Quæstionibus, decimam tertiam totam exscripsit ex
 Weihio, nunquam laudato, quod bona fides requi-
 rebat, authore ipso. Nec sinunt nos primores Ger-
 maniae Jurisconsulti, *Ioachimus Mynsingerus*, & *Andreas
 Gailius* hoc loco de se silentium agere. Mynsinge-
 rus quidem, quamvis invidendis coronet titulis Gai-
 lium, & Practicas ejus Observationes prædicet effusè;
 non veretur tamen illi objicere vitium ingratitude-
 nis. Cur ita? Quod haud pauca ex Mynsingerianis
 jamdudum in lucem editis singularium Imperialis
 Cameræ Observationum centuriis excerpens, ea suis
 postea publicatis practicis Observationibus frustil-
 latim fere infarferit, oblivione suppresso Mynsinge-
 ri, aut ejus Observationum nomine; idque doctissi-
 mos quosque non attestari solum, sed potius admi-
 rari.

rari. An verò tale facinus tantos legum Magistros deceat, id se boni cuiusque arbitrio permittere. At quid ad hæc Gailius? In re apertè iniqua superfluam esse refutationem scribit, & tenui excusationis spongia asperginibus Mynsingeri deletis, candidos quoscunque lectores innocentia suæ testes appellans, affirmat seriò, Mynsingerum in sexta Centuria, quam prioribus longè post adjecerit, multis in locis plurima ex Gailianis verbotenus exscripsisse, cum non nullorum antiquorum præjudiciorum adjectione, ut sic incauto lectori & sinceræ posteritati fucum faceret, suaque scripta Gailianis antiquiora persuaderet. Argutè, & in rem præsentem convenienter differabat olim Severus Cassius, *Multos esse, aiebat, qui detracto aliquo verbo, aut adjecto, aut mutato, putant, se alienas sententias luci fecisse, quos tamen similes esse existimat furibus, alienis poculis ansas mutantibus.* Lex XII. Tabul. in eum, qui tignum furtivum ædibus suis junxisse convictus est, in duplum dat actionem: sed quam pœnam mereantur illi, qui alienos ingeniorum fœtus vel furripiunt totos, vel eos carptim sublegunt, vel veteratoria ferruminatione quisquillis suis atroxentes, sic consuta opera venditant pro verè & propriè suis; definiant hoc rerum Domini, & consummata prudentiæ Exarchi. Cordatus scriptor consideratissimè positionum & dogmatum suorum veritatem appendit; & in allegandis probationum tibi cinibus cautissimè providet, ne subrepentes errores incutiant pudorem. Uti etiam contigit Lipsio, crisi nimium confidenti suæ: qui ad ista Taciti verba: *in familia recentissimus quisque servorum conservis ludibrio est:* locum hunc magis illustraturus, addit consuetarium.

Gail. in præfat. ad Lectorem in Vbior. Bonna, Kal. Januarii An. Chr. 1586.

Seneca Rhetor. controvers. 34. lib. 5. l. 1. ff. de tigno juncto.

In notis ad Lu. Agricola visâ. num. 37.

rium & affirmat; *Itaque servi recentiores non sunt in magno pretio.* Et quoniam Suetonius aliter præfert in Julio: ubi servitia recentiora politioraque immenso pretio comparasse dicitur: Lipsius Suetonium & interpretes æstu liberaturus, scribendum censet, *servitia decentiora.* Parum decenter, uti fert opinio mea, censet Lipsius. Primo ignotum est nemini, novitios quosque in familia contuberniis vel collegiis allectos, ferè ludibrio ac tantisper esse solere veteranis, dum illi positis tyrocinii rudimentis gratiam inveniunt, & in possessionem mutuæ benevolentiae mittantur. Ex quo tamen non consequitur, quod consequi arbitrabatur Lipsius, servos recentiores non in magno pretio esse. Servi novitii enim, qui *Venaliū* nomine peculiariter veniebant, ideo vectigalia erant, quia à venalitiariis pluris, quam veterana mancipia vendebantur. Deinde docet Ulpianus, libro primo ad Edictum ædilium curulium verbis expressis clarisque; novitia mancipia ad ministeria aptiora, habiliora, & dociliora esse, pluris vendi, & ad eorum emptionem decurri facile: imò interdum veterana & trita illa mancipia interpolari, ac pro novitiis vendi. Ut propterea Lipsius hîc fuerit acuminis hebes, & immodicus correctionum, Suetonii loco, qui mendum non habebat, intempestivo emendandi studio mendum intulerit. Attingam insuper specimen subdolæ circumventionis, narratione ipsâ gratiam varietatis allaturum; quod tamen prægnans falsarum allegationum, porrò naturalium causarum indagatoribus cautioni erit, ne præceleri credulitate sapientiæ & eruditionis opinionem de se conceptam labefactent, corrumpantue. An. Chr. c. 10. 10. xciii.

rumor

Quintilian.
lib. 8. c. 2.
Laurent.
Pignorius
de servis.

l. 37. ff. de
Ædilit.
edict.

rumor eruperat, & nactus passim faventes aures, fidem habuit propemodum apud quosvis promiscue. Narrabatur enim puerum septennem, in Silesia natum, cum dentes ipsi excidissent, ultimi molaris loco aureum dentem succrevisse. Quod ipsum literis mandatum, biennio post in lucē edidit Jacobus Horstius, Professor Medicus in Academia Helmstadiana; putans dentem illum partim naturalibus rationibus existere potuisse, partim prodigiis accensendum; adeoque solatii loco Christianis à Turcarum tyrannide tunc afflictissimis exhibitum esse. Martinus Rulandus quoque, celebris Medicus, patrocinium aurei istius dentis suscepit, ea quidem alacritate, ut Iohanni Ingolstettero, rationes in contrarium proponenti resistens, iudicium semel latum pro virili tuitus sit: Andrea Libavio deinceps inter utrumque habitas disputationes in publico scripto repetente. Quid? quòd nominatim Sigismundum Bathorium, circa ista tempora profligatis cæsisque Turcis victoriarum numero illustrissimum, & quem Patres Iesuitæ in Viennensibus Scholis tanquam alterum Iosuan laudabant, prodigio illo maximè designari, opinabantur viri non de plebe literatorum. Verùm fraudes, tot licet patrociniorum tutelis fultæ, tandem Uratislaviæ Silesiorum detectæ sunt. Pucro enim ab æruscatore Patre illuc delato, quamprimum à viris doctis, miraculum illud proprius cognoscere cupientibus, in conventum vocatus est. Aderat ex composito aurifaber: qui, post industria aliorum experimenta aurum Rhenanum in dente pueri agnoscentium, iussus & ipse est dentem Lydio lapidi committere. Affrictio lineam repræsentabat Rhenano similimam: sed peritus

part. 2. singular. dissert.
7.

Thuanus Hist. lib. 116.

C artifex,



artifex, ut veritatem eliceret certius, lineæ superillinit auripigmentum, quo tacta linea protinus disparuit, indubio falsitatis indicio. D. Christophorus Rhumbaumius, V. Cl. toti negotio præfens & censor, cautè iterata inspectione, apprehendit dentem superne non integrum, sed foraminulo pertusum: ideoque spathulâ ferreâ adhibitâ, an fortè denti lamina ex orichalco inducta esset, exploraturus, invenit, quod suspicabatur, & reliquis spectatoribus ostendit. Erat autem lamina illa dimidius globulus, forsan inauratus, quales olim in Silesia crumenis à fœminis appendi pro singulari ornamento consueverant. Detraxisset utique de dente pueri improbam laminam Rhumbaumius, nisi restitisset impostor pater, qui pejora veritus, velociter se subduxit cum puero, atque ex eo nusquam visus est. Daniel Sennertus, Professor Medicus Wittebergensis dignissimus, seculi decus, hanc catastrophem in Practica Medica descripsit naviter: ubi etiam monet naturæ scrutatores, ne causas rei & *τὸ δῖόν* prius quærant, quam *τὸ ὄν* sit manifestum: & pariter præproperos coarguit sciolos, de non-Entis affectionibus & causis frequenter & acriter disputantes. Thuanum, qui pseudolum illum dentem aureum inter res miras prodigiosasque retulit, liberaliter excusamus, qui cum causas & naturam rerum in Historia dispicere nequaquam constituisset, non poterat tot præstantibus à primariis Physicis publicatis testimoniis fidem abrogare. Hisce verò, quod *τὸ ὄν* expendere neglexerint, omnis quæ inde vires traxit, ac in libellos & populos sparsa est deceptio, unicè adscribenda est, posteritati ludibrium debituris quoq; Sunt & alia allegationum discrimina
oppido

lib. 2. p. 1.
c. 15.

oppido infesta scriptori; quando ille non satis circumspectè vel vulgaribus chartis & narratiunculis fidem adhibet festinè; vel amicorum scita arripit repentè; quæ inspecta pensiculatus, repudiare debebat; vel Authorum, quos laudat, libros non ipsemet intuetur, & ponderat, sed amicorum & amanuensium descriptionibus simpliciter adhærescit. Uti brevia & syrtes in pelago, occulta ferè pericula, naufragiis facilè præbent occasionem; ita & tectæ illæ scriptoris hallucinationes, dum alienis oculis & manibus plusculum credit, obtrectationum tempestates facilè glomerate possunt. Et annon multi præclari viri fiduciâ alienæ authoritatis in ancipiti collocaverunt suam? Annon famæ dispendia, dedecora, reprehensionum aculeos, & mille acerbitates alias pertulerunt? Annon illustris Philippus Mornæus, Gallorum sapientissimus, aliquando passus est memoriæ deliquia, & alienas culpas luit, atque obliquos Regis sustinuit ictus? Factum memorabile & relatu dignum. Composuerat vir meritis maximus librum de S. Eucharistia; ob styli elegantiam & rerum gravitatem passim lectum & laudatum; sed quem Romano-Catholic. Theologi, periculum inde creati sibi forsitan veriti, tanquam falsis allegationibus scatentem, hinc inde in concionibus graviter insectabantur; ipso præsertim Jacobo Davide Perrono Ebroicense tunc Episcopo (postea Cardinale magni nominis) se demonstraturum recipiente, quingentos amplius locos ex Patribus antiquis & Scholasticis in eo libro falsò citatos esse. Partibus hunc in modum vehementer utrinque exasperatis, adeoque singulis fidem dictis scriptisq; facere certis, tandem ad Regem Henricum IV.

itum, & ab eodem impetratum, ut in ipsius Regiæ
 Majestatis præsentia delegati de re cognoscerent.
 Nominatis itaque delegatis, partim Catholicis, par-
 tim Protestantibus, ad Fontem Blaudi IIII. Non.
 Maij conventum: ibique coram Rege collatione in-
 stituta, promptis libris, & aliquam multis locis excussis,
 ac deinde rogatis delegatorum sententiis, tandem à
 Pomponio Belleureo Cancellario, qui actioni præerat,
 pronuntiatum; Mornæum Plessium, ratione inter
 Scholasticos usitata deceptum, objecta in Iohanne
 Scoto & Durando pro decisionibus sumpsisse: tum
 S. Chrysostomi unum & alterum, nec non B. Hiero-
 nymi de Invocatione Sanctorum locos non integros,
 quod fieri debuerat, citatos esse: B. Cyrilli locum de
 adoratione S. Crucis productum, nusquam apud eum
 reperiri: Constitutionem vero Theodosii & Valenti-
 niani aliquot verbis truncatam, nec ex Petro Crini-
 to, authore recenti, nec magni nominis produci de-
 buisse: duo præterea ex S. Bernhardo loca de B. Vir-
 gine perperam confusa; & B. Theodoretii locum ex
 Commentario in Psalmum CXIII. de simulacris
 gentilium, non de imaginibus Christianorum intel-
 ligendum esse. Serum dici solverat conventum:
 quem, ut postridiè continuaretur, cumurgeret Per-
 ronus; Plessius, morbo ex vigilia præcedentis diei
 contracto adesse non potuit: tandemque aliis atque
 aliis subortis difficultatibus delegati dilapsi sunt;
 Rege victoriam Perrono non obscure adjudi-
 cante, eum Duci Espernonio ipso die collationis scri-
 beret, quòd diæcesis Ebroicensis vicisset Salmurien-
 sem. Credebatur à plerisque, non paucos Prote-
 stantium Ministros, in illud Plessii grande opus suas
 contu-

*Thuanus
 hist. lib. 123.*

contulisse vigilias, studia, & observationes: quibusdam existimantibus, Plessium inconsideratius dicta Patrum Doctorumque ex aliorum scriptis mutuatum esse; ipsismet Authoribus non inspectis. Et tamen non videri debebat insolens mirumque, etiam in homine summæ prudentiæ & doctrinæ, id est, in magno illo Plessio, si inter quinquies mille allegatos locos aliqui appareant, in quibus citandis digerendisque, vel oculus Plessii, vel memoria, vel iudicium quoque vacillarit. Illis autem Perronii vaframentis non immeritò quis opposuerit illud Aristotelis in fine Organi; Tales operis censors habere optantis, qui errata & ommissa essent veniâ dignaturi, rectè vero inventa grato agnitori animo.

*Aristot. de
reprehens.
sophist. lib.
4. c. ult.*

At ne ab ordine Jurisperitorum abeamus longius; Quemadmodum necessitas allegationum aliquando ex Iure certum moderamen accipit: veluti cum in tertia instantia nunquam sine refusione expensarum novæ admittuntur allegationes; ut & sic constituti æquissimum est, quo facti sui pœnam patiatur, qui ultrò liti moram affert: Ita generatim omnes necessariæ allegationes probari, nec non rectè atque ordine produci debent. Hinc ortum traxit illud apud Practicos cum primis decantatum: Doctõri nihil alleganti non credendum esse: ac perinde haberi, si doctor vel alleget nihil, vel ineptè nec appositè: cum paria sint nihil allegare, vel tale quid, quod non probet. Et quamvis aliàs Doctoris decisio in terminis magni sit ponderis: iste ipse Doctor tamen, celebrior licet, minuet famæ gratiam, nisi dicta sua rationibus & textibus claris firmet; vel saltem in supplementum auctario approbatarum autoritatum muniat; atque ita criti-

*Anton. Faber in Cod.
l. 3. r. 1. def.
10. n. 3.
per l. 15. §.
ult. § l. seq.
ff. Ex quib.
causis.*

*c. Ego solus.
dist. 9.
Johan. Petro.
Surdus, De-
cis. 59. n. 8.
Magonius.
de i. s. Florët.
66. n. 21.*

*Everh. in
Topic. in loc.
Auct. n. 12.*

*Georg.
Franz. v.
riar. resolut.
lib. 1. quest.
16. n. 83. &
seq.*

cæ notam declinet, plus justo se cerebro suo & seque-
larum acuminibus indulgisse. Quod & de Responsis
Facultatum & integrorum Collegiorum tradunt primi-
cerii Germaniæ Antecessores. Prorsus autem egre-
gie, & ex animi mei sententia censet magnus ille An-
tonius Faber, Præses Sabaudia, optimè de Iurispru-
dentia meritis; Non certioribus principiis mathema-
ticas disciplinas, quàm Iurisprudentiam constare; ni-
hilque in libris Iuris esse, quod non constanti ratione
nitatur; nullamque rationem, quæ non ad aliquod
principium revocanda sit, ex eoque æstimanda. Et
commemorat amplius incomparabilis Faber noster;
cum Anno Chr. 1600. Romæ viveret, tunc temporis
Clementem VIII. Pontificem & Iurisconsultum æque
maximum, ita eximiè affectum fuisse, ut si qua de Iure
dubio ac controverso emergeret quæstio, non tam
Doctorum autoritatibus, quàm legibus & rationi-
bus decertari pateretur; aut si quando subsidiario isto
Doctorum auxilio res egeret, non alios nominari vel-
let, quàm qui proximo ante Philippum Decium seculo
floruisent. Comperrum quippe habens, pro ea qua
præstabat eruditione, omniumque rerum tractandarum
peritia; colluviem istam scriptorum, quæ Decii æta-
tem consecuta erat, in immensum penè ex crevisse, & in-
dignam esse, cui aliqua Iuris autoritas tribuatur. Qua de
causa & Serenissimus Princeps Carolus Emanuel Dux
Sabaudia conquerebatur de tanta Iurisprudentiæ in-
felicitate, admiratus, unde fieri hoc possit, ut in ea ipsa
disciplina, quæ omnia ex rationis præceptis æstimare
doceat, tantæ passim occurrant dissensiones, tamque
pugnantia iudicia, non modò singularium Interpretum,
sed etiam supremarum Curiarum, & quod mirabilius
est, communiū opinionum. In qua tanta opinionum
dissen-

diffensione parum est scire, quænam sit communis opinio, si quæ communior sit, ignoretur; adeoque nec quæ communior, si quæ communissima evaserit, nesciatur. Hinc tot patrimoniorum & familiarum everfiones; condemnatis ut plurimum iis, pro quorum victoria, si Papinianum Iudicem habuissent, nec Ulpianus, nec Paulus, quantumvis gloriæ Papinianæ alioquin æmuli, spondere respondereque dubitassent. Unum ad huc tangere fas sit: Quo numero auctoritates allegandæ? Breviter: si nulla necessitas ad numerosiores cogit allegationes, neque etiam legibus certus exigitur numerus; tunc duorum aut trium Docto-^{l. 1. 2. §}
^{12. ff. de testib.}
 rum, de quorum gravitate, fide, moribus, & doctrina ^{Deuteronom}
^{c. 17. v. 6. §}
 satis constat, sufficit allegatio. Etenim in ore duorum ^{c. In omni}
^{de testib.}
 vel trium stat omne verbum. Et quidem opinio sive ^{Arg. l. divi}
^{fratres 17. ff.}
 sententia non tam est metienda ab auctoritatum ^{de Iure Pa-}
^{tronatus.}
 numero, quàm à ratione. Nec scribentium mul-
 titudo æstimanda, sed dignitas, & subactum accu-
 ratumque iudicium: quinimò summis quamli-
 bet auctoritatibus nemo recti iudicii pertinaciter in-
 hæret; sed novâ aliunde exorta luce obrogat haud dif-
 ficulter. Nam quos duces sequimur, ut ut adulantium
 *titulis sint Monarchæ *πρωσφίας*, Dictatores artium &
 scientiarum: homines tamen sunt. Sapienter arbitra-
 tur Galenus: surdos & cæcos fieri, qui se addicunt sectæ.
 Dixi, Serenissimi & Inclyti Principes, Auditores
 cæteri undiquaque honoratissimi; &, quæ hætenus
 dixi, universorum & singulorum censuræ reverentissi-
 mæ subijcio. Quod autem infantiam ac tenuitatem
 meam dignati estis gratiosissimâ præsentia vestrâ, &
 mirificâ audiendi facilitate, id ego cum perenni
 gratitudinis & devota testificatione, memo-
 ria colam immortalis.

CAR -

C A R M I N A.

Qui Leges, qui Verba potes Romana tonare,
 Cui Linguam hyblæo nectare Suada rigat.
 Materiam plausus præbes Wagneri Parenti,
 Excelsæ nobis Materiamque spei;
 Seu missæ *allegent* Te serâ in secula chartæ,
 Seu Legat in Censum Curia docta suum.

*Optimi Affectus ominusq; Causa
 scrib.*

HENRICVS SCHMIDIUS.

I I.

WAGNERE eloquio præstas, simul acris misces
 Verba, grave officium qua monitoris habens.
 Miramur florem ingenis, miramur & artem;
 Hoc non ignara est nobile nectar Apis.

IOH. MARTINVS Kauscher.

I I I.

Allegat Baldos, nec se tamen alligat illis,
 Cui Lex & Ratio, sunt quasi Solis equi,
 Quis Themis adjungit carpenta, rotasque Suada,
 Atque Astræa poli per yada pandit iter.
 Hoc curru doctum felix auriga triumphum,
 Arcadicis satagit ducere de tenebris.
 Inque Patris morem, natus vim nominis implet;
 Urbis is *Automedon*, juris hic *Automedon*.

*Hon. & am. ergò
 decantab.*

IOH. CONRADVS Brodbeck/
 Med, D. & Astron, Prof.

I V.


Allegetur ut unum, in re tam manifesta,
 Iudicium de Te, nil opus esse reor:
 Constat enim graviter Te verba diserta sonasse;
 Ob qua gratatur, pectore, fida manus

Tui

GEORGII FRIDERICI Walliseri,
 Eslingensis. I. V. S.

F I N I S.






X 2615891

1077







15.

47
1651,3

9,610.

73

DISSERTATIO
De
ALLEGATIONIBUS.
memoriter habita Tubingæ,
Præsentibus
Illustrissimis Württembergiæ & Holsatiæ
PRINCIPIBUS,

GEORG: FRIDERICO WAGNERO
Eßlingensi.

Excudebat JOH. ALEXANDER CELLIUS,
ANNO M. DC LI.

